

II  
309.

~~S. 111.~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

# #  
# 309.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

1495  
Viteberg  
by



offer

Paul Herban  
Biblothek.

139 Aut

P

F

I

.



PETRI BURMANNI

*VIRI CLAR.*

ANTIQUITATUM  
ROMANARUM

BREVIS

DESCRIPTIO.

IN USUM COLLEGIORUM

RECUSA.



*FRANCOFURTI.*

Apud VIDUAM KNOCHII.

---

M D C C X L I I I .

PETRI BURMANNI

VERE CIVIS

ANTIOCHITUM

ROMANARUM

BREVIS

DESCRIPITIO

IN USUM COLLEGIORUM

REGIA



FRANCOFURTI

Abpd VIDUAM KNOCHE

M D CC XLIII











BREVIS  
 ANTIQUITATUM  
 ROMANARUM  
 DESCRIPTIO.

CAPUT I.

*De Urbe Roma.*

**R**oma condita fuit a Romulo & Remo Olympiadis VII. anno primo, & a parvis initiis, progressu temporis ad summum potentiae fastigium adscendit; quod praecipue debet bene constituto ordini, legibus, & institutis egregiis, quibus supra omnes urbes caput suum extulit.

Tribus autem praecipue uniuscujusque civitatis salus fundamentis innitur, quibus recte jactis, nullam, vel


feram certe, ruinam metuet. Nimirum, ut Religio caste ac sancte ab omnibus colatur; ut jus civile æqualiter inter omnes administraretur; & denique ut disciplina militaris severe & recte institueretur. His tribus omne robur & dignitas reipublicæ continetur. Quid in singulis præstiterint Romani, ordine videbimus.

## C A P. II.

*De Romanorum Religione.*

**D**EI, quos Romani coluerunt, innumeri fuere, & fere omnes, quos supersticio veterum mortalium consecravit. Olim quidem cautum fuerat, ne peregrina sacra adsciscerentur, sed paulatim Græcæ, Phrygiæ, Ægyptiæ & aliarum gentium ceremoniæ adscitæ fuere.

Cultus Deorum præcipue constabat, excitatione ædium sacrarum, quæ dicebantur *Temples, Fana, delubra*, vel *facellæ*: in his Deorum *imagines* adorabantur, *supplicationes* instituebantur





tur ad *pulvinaria*, quæ sternebantur? denique, quæ maxima religionis pars, *sacrificia* varia offerebantur.

Sacris qui præerant, varii erant, sed prudentissimo instituto, non diversi ordinis a reliquis civibus & magistratibus, ne unquam turbæ religionis causa moverentur. Hinc præcipui Sacerdotum ex patriciis, & qui summos simul in civitate honores gerebant, capiebantur. Sacerdotes vero erant vel in collegia descripti, vel singulares, aut uni Deo operantes.

Collegia erant, qui nulli Deo præter ceteros sacra faciebant; ut

I. *Pontificum*, quorum Princeps *Pontifex Maximus*.

II. *Augurum*, quibus *Augur Maximus* præerat.

III. *Haruspicum* vel *Exstispicum*.

IV. *Duumvirum*, *Decemvirum*, & tandem *Quindecimvirum sacris faciundis*.

V. *Virginum Vestalium*, quibus *Virgo maxima* præerat:

VI. *Fratrum Arvalium*.

VII. *Curionum*.

A 3

VIII.

VIII. *Epulorum Septemvirorum.*

IX. *Fetialium*, quorum primus *Pater Patratus.*

X. *Sodalium Titiorum* vel *Titien-  
sium.*

Qui Deo cuidam soli dicati erant,  
fuerunt.

I. *Rex Sacrorum.*

II. *Flamines*, qui olim tres, *Dialis*,  
*Martialis*, *Quirinalis*, postea ad plures  
excreverunt.

III. *Salii*, qui Martis sacra curabant,  
eorum primus *Præsul.*

IV. *Luperci*, qui Pani faciebant.

V. *Potitii & Pinarii*, qui Herculi  
sacrificabant.

VI. *Galli*, qui Matris Dei cerimo-  
niis præfecti erant, quibus præerat *Ar-  
chigallus.*

VII. *Bonæ Deæ Sacerdotes*, fe-  
minæ.


His sacerdotibus aderant varii Mi-  
nistri: ut

I. *AEditui.*

II. *Camilli & Camillæ.*

III. *Tibicines*, *Tubicines*, qui &  
*Iudii* dicti.

IV.







IV. *Popæ & victimarii,*

V. *Præfice.*

VI. *Designatores.*

Ad ipsa sacra erat destinata suppellex sacra & vasa quædam, quæ pro variis sacris varia appellatione insigniebantur. Præcipua erant *Acerra, Thuribulum, Præfericulum, Sympulum,* vel *Sympuvium, Patera, Secespita, Aspergillum &c.*

### C A P. III.

#### *De ritibus sacrificiorum.*

**S**acrificiorum ritus tam varii & multiplices fuere, ut omnes recensere nimium esset, præcipuos tantum congeremus. Ac primo eos, qui omnibus sacrificiis communes, deinde quosdam, qui non omnibus sacris erant usitati, enumerabimus.

Communes ritus ante sacrificium, vel eos, qui sacrificabant, vel hostias, quæ mactarentur, spectabant.

I. Ut sacrificaturi *caste Deos adirent, & a Venere abstinerent.*

A 4

II. Ut

II. Ut ante se lavarent, & puris manibus, & pura veste venirent.

III. Ut essent *passo capillo, solutis vestibus, & pede nudo.*

IV. Ut *preces & vota* fierent ante sacrificium.

Hostiæ quæ adducebantur.

I. Debebant esse *electæ & probatæ.*

II. *Ornatæ & coronatæ.*

III. *Gregales & optimæ, non feræ.*

In ipso sacrificio observabantur.

I. *Indictio silentii, & profanorum* ablegatio.

II. *Inpersio melle salse, quæ immolatio* dicta.

III. *Libatio, quæ erat vel vini, mulsi, mellis, lactis vel similium.*

IV. *Ignis in altari accensus, ex lignis aridis & sectis.*


V. *Adductio hostiæ* ad aras.

VI. *Percussio victime, quæ certis ceremoniis* peragebatur.

VII. *Sanguinis exceptio.*

VIII. *Excoriatio & dissectio* occisi animalis, cujus membra quædam igni injecta, quædam ad epulas distributa,

IX.





IX. *Extorum inspectio & porrectio.*

X. *Altera libatio.*

XI. *Dimissio populi a sacris.*

XII. *Epularum sacrificialium celebratio.*

Maxima autem differentia sacrificiorum erat inter ea, quæ vel Diis superis, vel inferis fiebant.

I. Superis *albæ* hostiæ, inferis *nigræ* mactabantur.

II. Hostiarum superis *cæsarum cervices retro flectebantur*, ut cœlum aspicerent, inferis percutiebantur *prone & terram* aspicientes.

III. Superis *ferrum imponebatur*, inferis *supponebatur*.

IV. Superis sacrificantes *abluebantur*, inferis tantum *aspergebantur*.

V. Libatio superis fiebat *fundendo*, inferis *vergendo* vel *invergendo*.

VI. Preces ad superos fiebant *manibus in cœlum sublatis*, ad inferos, *terram pede percutienda*.

Diversus quoque a reliquis sacris erat ritus *Lustrationum*, quæ instituebantur, vel *Urbis*, vel *agri*, vel *hominum*

purgandorum, vel à scelere, vel à calamitate quadam, causa.

*Urbis* Lustratio fiebat, si vel pestilentia, vel aliqua insignis calamitas eam incestasset, vel grande scelus accidisset.

*Agrorum* fiebat circuitione agri pro frugibus, quæ lustratio fiebat *ambarvali sacrificio*.

*Hominis*, si vel eadem fecisset, vel aliquo scelere se contaminasset, fiebat *expiatione*.


#### C A P. IV.

#### *De Tempore.*

**C**uræ sacrorum pars quoque erat recta ordinatio temporis, quod a Pontificibus & Sacerdotibus in varias partes dividebatur.

Summa temporis divisio erat in *Annum, Menses & Dies*.

Romulus annum decem mensium, dierum ccciv. fecerat; Numa adjectis duobus mensibus ad dies cccliv. produxit; Cæsar demum fecit dierum ccclxv. Menses erant duodecim, qui  
a Ja-







a Januario initium capiebant. Dividebantur autem in *Kalendas*, *Nonas* & *Idus*.

Dies vel erat *naturalis*, vel *civilis*.

*Naturalis* ab ortu solis ad occasum, aestate longior, hieme contractior, & XII. horis finiebatur.

*Civilis* erat XXIV. horarum, initium capiens a media nocte, & in mediam noctem alteram desinens, cujus pars *nox* erat. Partes dici erant variae, *mane*, *ad meridiem*, *meridies*, *de meridie*, vel *tempus occiduum*, *occasus solis*, sive *suprema tempesta*, *Vesper*, *prima fax*, *concupium*, *nox intempesta*, *ad mediam noctem*, *media nox*, *de media nocte*, *gallicinium*, & *conticinium*.

Dies etiam dividebantur in *Festos* & *Profestos*. *Festi*, qui Deorum cultui dicati, *ferias* etiam complectebantur.

*Profesti*, qui vacabant à divinis ceremoniis.

*Profesti*, autem erant vel *Fasti*, vel *Nefasti*.

*Fasti*, quibus jus dicebatur,

*Nefasti*, quibus jurisdictio cessabat.

*Inter-*

*Intercisi* erant, qui parte sua erant vel festi vel profesti, vel fasti vel nefasti.

Præterea erant *Comitiales*, quibus licebat comitia habere, *Proeliarum*, quibus fas erat cum hoste configere, *Nundinales*, quibus nundinae celebrabantur, *Atri & Alliensis*, quibus ob calamitatem aliquam publice acceptam nihil agere licebat.

## C A P. V.

*De Ludis.*

**P**raeter sacrificia & tempus, ad sacra etiam pertinebat cura *Ludorum* publicorum, qui in honorem Deorum edebantur.

*Ludi* ferè erant triplices, *Circenses*, *Scenici*, & *Munera*.

*Circenses* a Circo, in quo editi, dicti, fiebant agitatione equorum & quadrigarum.

*Scenici*, qui & *Theatrales*, a Theatro, in quo exhibebantur, ab histrionibus agebantur & erant,

*Tragœdia.*

*Comœdia.*

*Mi-*





*Mimus.*

*Atellana.*

*Manera*, vel ludi Amphitheatrales, in Amphitheatro conspiciantur, & erant vel

*Gladiatorii* ludi, vel

*Venationes.*

Omnes autem Ludi erant vel *stati*, vel *votivi*, vel *extraordinarii*.

*Stati* erant, qui certo tempore fiebant in honorem cujusdam Dei, quorum præcipui erant.

I. *Megalenses*, qui in honorem Deæ Matris Magnæ, pridie Nonas Aprilis fiebant,

II. *Cereales*, in honorem Cereris a pridie Idus Aprilis per dies octo.

III. *Florales*, in honorem Floræ IV. Kal. Majas aliquot dies.

IV. *Martiales*, in honorem Martis IV. Idus Majas.

V. *Appollinæres*, in honorem Apollinis, olim incerti, postea *stati*, & acti pridie Nonas Quinctiles per decem dies.

VI. *Capitolini* in honorem Jovis pro servato capitolio a Gallis.

VII. *Romani*, sive *magni*, in honorem Jovis,

Jovis, Junonis & Minervæ a pridie  
Nonis Septemb. ad pridie Idus.

VIII. *Plebei* in circo, a d. xvii. Kal.  
Dec. per triduum.

IX. *Consuales*, Conso vel Neptuno  
facti, in memoriam raptarum Sabina-  
rum xii. Kal. Septemb.

X. *Compitalitiū* vi. Non. Maji fie-  
bant Deæ Maniæ, & Laribus.

XII. *Piscatorii* vii. Id. Junii trans  
Tiberim pro piscatoribus Tiberinis.

XIII. *Seculares*, qui post centum an-  
nos fiebant;

*Votivi* erant, qui a Magistratibus  
vovebantur, ob felicem eventum belli.  
His accenseri possent Quinquennales,  
Decennales, Vicennales ab Imperato-  
ribus postea instituti. *Extraordinarii*  
erant, ut *Funebres*, qui in honorem de-  
functi viri præclari edebantur. *Juvena-*  
*les*, quos edebant Juvenes barbam de-  
ponentes; denique quos Magistratus in  
auspiciis honorum dare solebant. Præter  
ludos sacros erant & ludi exercitationis  
gratia frequentati, ut *Pyrricha*, *Troja*,  
& *Ludi Gymnici*, *Pugillatus*, *Lucta*,  
*Saltus*, *Discus*, *jaculi coniectio*, *armo-*  
*rum exercitatio* &c.

PARS







## P R A S II.

## C A P. I.

*De Civilibus rebus.*

**C**ives vocabantur, qui Romæ habebant tribum & jus petendi honores. Distinguebantur vero inter se Cives, vel ratione *ordinis*, vel *dignitatis*, vel *natalium*, vel *patrimonii*.

I. *Ordinis* discrimen erat triplex.

I. *Patricius* ordo.

II. *Equester*.

III. *Plebejus*.

ex primo Senatus legebatur, medius gaudebat jure annuli; ultimi, neque Senatores, neque equites, sed vel *Urbani* vel *rustici* erat.

II. *Dignitatis* respectu distinguebantur in *Magistratus* & *Privatos*.

*Magistratus* erant vel *Ordinarii*, vel *Extraordinarii*. *Urbani* vel *Provinciales*. *Ordinarii* vel *majores*, & *curules*, vel *minores* & *non curules*.

*Majores* creabantur auspiciis majoribus, centuriatis comitiis, & gaudebant jure sellæ curulis.

*Mino-*

*Minores* creabantur minoribus auspiciis, tributis comitiis, & in subselliis sedebant.

*Majores ordinarii* erant,

I. *Consules.*

II. *Prætores.*

III. *Censores.*

IV. *Ædiles Curules.*

*Minores Ordinarii.*

I. *Ædiles Plebis.*

II. *Ædiles Cereales.*

III. *Quæstores.*

IV. *Tribuni plebis.*

V. *Triumviri capitales.*

VI. *Triumviri nocturni.*

VII. *Triumviri monetales.*

VIII. *Curatores viarum. &c.*

*Extraordinarii* erant, qui non omni tempore reipublicæ Magistratum gesserunt, sed, ita re cogente, extra ordinem creabantur. Tales erant

I. *Dictatores.*

II. *Magistri Equitum.*


III. *Præfecti Urbis.*

IV. *Interreges.*

V. *Decemviri consulari potestate.*

VI. *Tribuni militum consulari potestate.*

VII.





VII. *Triumviri reipubl. constituen-  
dae.*

VIII. *Praefecti annonae.*

IX. *Triumviri coloniae deducen-  
dae.*

*Provinciales* erant, qui mittebantur  
ad provincias regendas, ut

I. *Proconsules.*

II. *Propraetores.*

III. *Legati.*

IV. *Quaestores Provinciales.*

Magistratibus ad imperia exsequenda  
aderant, & apparebant varii ministri, ut

I. *Scribae.*

II. *Apparitores.*

III. *Accensi.*

IV. *Lictores,*

V. *Præcones.*

VI. *Viatores.*

VII. *Servi publici.*

VIII. *Carnifex.*

Ut autem major esset splendor & di-  
gnitas, insignibus quibusdam a privatis  
distincti incedebant. Ut

I. *Toga praetexta,*

II. *Fascibus.*

III. *Securibus.*

B

III. Ra-

III. Ratione Natalium cives Romani erant, vel *Ingenui*, vel *Libertini*, vel *Servi*,

*Ingenui*, qui ex iusto civium Romanorum matrimonio erant procreati.

*Matrimonium* iustum erat tantum inter cives, qui illud contrahere poterant, vel prohibebantur, pro *Nationis*, *conditionis*, *gentis*, vel *sanguinis* diversitate.

I. *Nationis* ratio habebatur, ne quis Romanus duceret peregrinam, & vice versa.

II. *Conditionis*, ne ingenuus libertinam,

III. *Gentis*, ne Patricius plebejam.

IV. *Sanguinis*, ne intra gradus prohibitos contraherentur nuptiae.

*Nuptiarum* autem solemnitas triplici ritu celebrabatur.

I. *Confarreatione*.

II. *Coëmptione*.

III. *Usu*.

Solvebatur matrimonium per *divortium*, ut sponsalia per *repudium*. Liberi ex iusto matrimonio creati erant in manu & potestate patria, unde exhibant per *emancipationem*.

Qui







Qui liberis destituebantur poterant adoptare.

*Adoptio* erat duplex.

*Adoptio propria* impuberum.

*Arrogatio* puberum.

*Libertini* erant, qui a servitute manumissi erant, & eorum filii.

*Manumissionis* justae tres erant species.

Vel enim fiebat *Censu*, vel *Vindicta*, vel *Testamento*.

*Manumissionis* minus justae erant tres praecipui modi,

I. *Per epistolam*.

II. *Inter amicos*.

III. *Convivii adhibitione*.

*Libertas*, quam per manumissionem consequiebantur, erat vel *plena*, vel *minus plena*.

*Plena*, si civitatem optimo jure consequiebantur.

*Minus plena*, si modo jus Latii adipiscerentur,

IV. Ratione Patrimonii dividebantur cives, in *Classes* & *Centurias*.

*Classes* erant VI. *Centuriae* CXCII.

I. *Classis* comprehendebat XCVIII.

centurias. XL. juniorum, XL. seniorum,  
& XVIII. equitum. Hi censebantur  
*centum millibus aeris.*

II. *Classis* erat XXII. centuriarum, x.  
seniorum, x. juniorum & II. fabrorum,  
hi profitebantur se possidere septuaginta  
*quinque millia aeris.*

III. XX. Centuriarum. x. Seniorum,  
& x. juniorum, qui habebant L. *millia*  
*aeris.*

IV. XVII. Centuriarum, x. seniorum  
& x. juniorum, & II. tibicinum. Hi pos-  
sidebant XXV. *millia aeris.*

V. Erat XXX. centuriarum, xv. senio-  
rum, xv. juniorum, censebantur XII.  
*millibus & quingentis aeris.*

VI. Erat unius centuriae, in quam  
proletarii & capite censi adscribebantur,  
qui vel nullo vel exiguo aere censeban-  
tur. Quinque priorum classium erant ca-  
paces omnium honorum, & militare in  
legionibus poterant; ex sexta remiges  
capiebantur.





## CAP. II.

*De Comitiiis.*

**C**omitia erant publici conventus populi Romani. Fuerunt triplicia:

*Curiata.*

*Tributa.*

*Centuriata.*

*Curiata* a Romulo instituta, qui populum dividerat in xxx. Curias, x. Senatorum, x. Equitum, x. Peditum.

Haec instituebantur vel ad leges de imperio ferendas, vel ad Sacerdotes creandos, & arrogationes peragendas. Ad haec comitia tantum incolae Urbis convocabantur.

*Tributa* erant, quibus populus per tribus divisus suffragia inibat, quae olim pauciores, tandem ad numerum xxxv. excreverunt.

*Tribus* erant vel Urbanæ vel Rusticae.

*Urbanæ* quatuor, Suburana, Exquiline, Collina, Palatina, reliquae rusticae; prioribus honoratiores.

*Tributis* comitiis creabantur magistratus, leges ferebantur, sacerdotes cooptabantur, & judicia publica exercebantur;

bantur; habebantur a Consulibus, Praetoribus, Tribunis & Aedilibus plebis.

*Centuriata* comitia erant maxima, quando Univerſus populus in centurias diviſus ſuffragia inibat,

Habebantur magiſtratum creando- rum, legum ferendarum & judiciorum cauſa.

Præcerant hiſ comitiis Magiſtratus majores.

Quædam vero ſolemnitates erant omnibus comitiis communes.

I. Debebant rite indici per edictum.

II. Trinundinum debebat intercedere inter edictum, & celebrationem comitiorum.

III. Auspicia debebant rite capi.

IV. Dies debebat eſſe comitialis, in quem edicta eſſent.

V. Locus debebat inaugurari.

In centuriatis comitiis debebant Patres auctores fieri, non tributis.

In centuriatis majora auſpicia adhibebantur, in tributis & curiatis non item.

Ordo ſuffragiorum incundorum, per ſortem conſtituebatur, quæ prima exhibit, centuria vel tribus, dicebatur *prærogativa*, Curia autem *principium*.

Suffragia







Suffragia olim voce, postea tabellis lata, quibus notae quaedam inscriptae erant. Tabellae dividebantur per *diribitores*; *rogatores* eas in cistas conjiciebant, *custodes* educebant, describebant & numerabant. Postea, qui praecerat comitiis, renunciabat, quid pluribus suffragiis esset iussum, cum precatione solemnem.

Locus, ubi agebantur comitia, erat vel Campus Martius, vel forum, vel comitium.

### C A P. III.

#### *De Legibus & Jure Civili.*

Juris Civilis partes erant *Lex*, *plebiscitum*, *Senatus consultum*, *edicta*, & *responsa prudentum*. Lex apud Romanos vocabatur, quidquid Populus in comitiis jufferat.

Legem ferebat Magistratus, cui jus erat cum Populo agendi. Qui ut lex valeret, haec observare consueverat.

I. Lex scribi in tabulis & proponi debebat, ut ab omnibus posset legi.

II. Debebat promulgari per trinundinum,

B 4

III. Sole-

III. Solebant ad populum conciones a latore, & ab amicis haberi ad suadendam legem, aliquando etiam ab adversariis contrariae ad dissuadendam.

IV. In comitiis convocatum populum rogabat lator, an *vellet juberetque* legem, & porro omnia administrabantur, ut supra de comitiis diximus.

*Legis vis* erat, ut omnes cives obligaret.

*Plebiscitum* erat, quod plebs, magistratu plebeio rogante, constituebat.

*Senatusconsultum* erat decretum Senatus.

*Edicta* erant, vel perdetua, vel temporaria.

*Perpetua*, ex quibus jus per totum annum a praetore dicebatur.

*Temporaria*, quae a magistratibus, re exigente extra ordinem proponebantur, quibus Populus monebatur, vel objurgabatur. Erant etiam *Urbana*, vel *Provincialia*. De Urbanis egimus.

*Provincialia* erant, quae magistratus de jurisdictionis modo in Provinciis proponebant. Hoc jus dicebatur etiam *Honorarium*.

*Pru.*





*Prudentum responsa*, interpretationes legis XI I. Tab. disputationes fori, &c. magnam etiam partem juris civilis efficiebant.

## C A P. IV.

*De Judiciis.*

**J***udicia* sunt caussarum disceptationes coram iudice. Erant vel *publica*, vel *privata*.

*Publica*, in quibus de criminibus, quibus Reipubl. majestas erat imminuta, quaerebatur, quae & *quaestiones* dictae.

*Publica* erant, vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*.

*Extraordinaria* olim fuere omnia: crimine enim commisso ad populum ferebatur, qui iudicium decernebat, Quaestores extra ordinem constituebat, qui de crimine cognoscerent. Deinde institutae sunt *quaestiones perpetuae*, id est certa crimina certis Praetoribus dijudicanda, inconsulto populo, data. *Extraordinariae* quaestiones tantum in novo quodam & atrociori crimine usita-

tae, ut in Perduellione, pollutis sacris &c.

Ordinariis praerat *Praetor*.

Extraordinariis *Quaestor*.

Exercebantur autem utraeque a *Judicibus*, sorte electis.

Ordo judicii publici hic erat.

I. Ut reus in *jus vacaretur* ab accusatore.

II. Ut *postularet* actor, id est Praetorem rogaret, an liceret actionem intendere.

III. Ut *deferret nomen*, jurejurando calumniae praestito.

IV. Ut *reus reciperetur*, id est in tabulas inter reos referretur.

V. Ut *dies diceretur*, qua adessent accusator & reus.

VI. Ut *judices sortirentur*, quos si rejicerent litigantes, fiebat *subsortitia*.

VII. Ut *caussa ageretur*, testes audirentur, tabulae proferrentur.

VIII. Ut *sententia ferretur*, qua vel reus absolvebatur, vel muldebatur.

*Privata judicia* erant disceptationes controversiarum de rebus privatis; quibus praerat praetor, sed judicabant *judices privati*.

Ordo







Ordo iudicii privati erat.

I. Tentabat rem per amicos actor *componere*, quod si non succedebat.

II. *In jus vocabat*. Id est adibat adversarium, & rogabat ut se sequeretur ad Praetorem, & si nollet sequi, vi & oborto collo licebat in jus rapere, si in via publica res ageretur.

III. *Vades dabantur*, qui fatisdabant & cavebant iudicio listi.

IV. Contra latitantem *citatio per edictum* fiebat, & evocabatur; si ad tertiam evocationem non prodiret, bona ejus possideri, proscribi, ac distrahi jubebat praetor.

V. In jus ubi ventum esset, *actio edebatur*.

VI. *Petitio* instituebatur, id est rogabatur Praetor ab actore, an liceret eam actionem intendere.

VII. *Actionis datio* sequebatur; tunc

VIII. *Vadatio*, qua certa formula actor petebat a reo, ut vades daret, quibus caveret se certo die, qui plerumque perendinus erat, adfuturum; actor *vadari reum*, reus *vadimonium promittere*, dicebatur, quod si defereretur, causa cadebat, qui non aderat.

IX. Si

IX. Si uterque dicto die aderat, *intendebatur actio* formulâ conceptâ, qua Praetori exhibita, petebantur iudices.

X. Praetor pro caussarum conditione dabat *iudices* vel *arbitros*, vel *recuperatores*, vel *centumviros*, aliquando vero ipse cognoscebat.

XI. Iudice dato *Satisfactiones* fiebant, quibus cavebatur iudicatum solvi, & rem ratam haberi.

XII. Deinde fiebat *litis contestatio* &

XIII. *Denuntiatio in diem perendinum*, quae & *comperendinatio* & *condictio* vocabatur.

XIV. Die tertio iudex *jurabat*, se ex lege iudicaturum, litigantes *calumniam jurabant*, quod & *in litem jurare* dicebant.

XV. Deinde *caussa perorabatur*, testes audiebantur, tabulae proferebantur &c.

XVI. Iudices, si *liquebat*, sententiam forebant; sin minus: *ampliabant*, vel *sibi non liquere* jurabant.

XVII. *Executio* sententiae ad Praetores redibat.

Exercebantur vero iudicia publica in foro, vel campo Martio. Privata





Privata in *foris* coram *tribunali*, vel  
in *plano*, vel etiam in *Basilicis*.

C A P. V.

*De ratione vitae & victus  
Populi Romani.*

Vidimus ritus publicos civium Romanorum, quaedam etiam de ratione vivendi domestica adjicienda, quae non tam legibus, quam institutis & consuetudine majorum colebatur. Ad haec quatuor autem capita redigemus.

I. *De re vestiaria.*

II. *De conviviorum ratione.*

III. *De re pecuniaria.*

IV. *De ritibus Funebribus.*

I. Vestes olim tantum duae fuere, *Toga*, quae exterior, *Tunica*, quae interior erat.

*Toga* olim virilis & muliebris vestis fuit. Postea Matronis usitata *stola*, *Togis* vero Ancillae & Meretrices tantum usae.

Togae

Togae species variae fuere.

- I. *Praetexta.*
- II. *Pura.*
- III. *Candida.*
- IV. *Pulla.*
- V. *Picta.*

Praeter togam etiam certis temporibus usi fuere.

- I. *Trabea.*
- II. *Paludamento.*
- III. *Pallio.*
- IV. *Chlamyde.*
- V. *Lacerna.*
- VI. *Laena.*

*Tunica* erat vestis interior, angustior & brevior, olim sine manicis, postea manicata & cincta. Olim sine tunica Romani, postea unam, deinde duas induti incedebant, quarum interior *Interula*, vel *subucula*; superior *superaria* dicta.

*Tunicæ* aliquando clavis distinguebantur, qui vel latiores, unde *lati-clavia*, vel angustiores, unde *Angusticlavia* tunicæ.

Vestes Muliebres erant.

*Stola. Fasciæ. Mitræ. Reticulum.*







*lum. Vittæ. Flammea. Instita. Palla.  
Plagule. Capitia &c.*

*Communes, Toga olim, Tunica,  
Pænula, Pallium &c.*

Vestium mutatio fiebat vel in luctu,  
vel in lætis rebus.

In luctu Senatores laticlaviis deposti-  
tis, angusticlaviis utebantur; Magi-  
stratus sine prætexta; equites sine clavo,  
reliqui Romani sagati incedebant

In lætitia candidas vestes sumebant.

Hæc de Vestibus, nunc pauca de ritu  
convivandi subjicienda.

II. Veteres Romani olim sedentes,  
postea in lectis, accumbentes mensis,  
convivabantur. Ordinarie erant tres  
lecti, unde *triclinii* nomen accepit,  
strati vestibus. Ante cibum solebant  
*lavare, vestes mutare, calceos de-  
ponere.*

Olim semel tantum uno quoque die  
Romani cibum capere solebant, hora  
nimirum nona, quod *cænare* vocaba-  
tur. Postea vero crescente luxu, ad-  
dita fuere *jentacula, prandia & co-  
missationes.*

Cibi olim simplicissimi & frugalis-  
sima

simia cœna, plerumque pulte, oleribus, vel carne, omnibus simul mensæ illatis, constabat. Postea cœnæ præmissa *gustatio*, tunc ipsa cœna variis *ferculis* & *missibus* instructa, deinde *bellaria*, vel *mensæ secundæ*. Super cœnam, cantabant pueri & puellæ delicatæ, vel legebatur aliquid.

Mensæ consecratio fiebat *salis appositione*, & *libatione vini*.

Vinum in poculis ministrabatur, quæ olim lignea, fictilia & vitrea, postea argentea, aurea, & ex gemmis fuere.

Erant autem illa vasa pro ratione mensuræ variis nominibus insignita, quædam incertæ mensuræ, ut *Crateres*, *Scyphi*, *Calices*, *Cymbia*, *Culluli*, *Pateræ*, *Canthari* &c. quædam certæ mensuræ, ut *culei*, *amphoræ*, *urnæ*, *congi*, *sextarii*, *heminae*, *cyathi* &c.

Temperatiores aquam vino admiscebant, quam vel *frigidam*, vel *calidam* bibebant.

Bibendi leges in sollemnioribus convi-





conviviis a rege convivii, qui sorte creabatur, dicebantur.

III. Antiquissimis Urbis Romae temporibus non videtur pecunia signata in usu fuisse, sed vel permutatione mercium, vel metallorum certo pondere appenso commercia exercita. Deinde signari coeperunt nummi ex aere, argento & auro. Ratio computandi pecuniam Romanam fere omnis erat ad pondus, & ejus partes exacta, unde plurima vocabula, non tam nummum signatum, quam ejus pondus & aestimationem continebant. Praecipue supputatio fiebat, per *asses, sestertios, denarios, minas, sestertia, & talenta.*

*As* duodecim unciis constabat.

*Sestertius* duobus assibus & dimidio.

*Denarius* decem assibus, qui & *drachma* dictus.

*Mina* centum drachmis.

*Sestertium* mille sestertiis nummis.

*Talentum* sexaginta minis.

IV. Restat, ut de ritibus funebribus praecipua quaeque subtexamus.

Mortuo *clausis oculis, & conclamatione edita, cadaver ablutum, in lectulo collo-*

C

collo-

*collocabatur, postea efferebatur ad sepulchrum, vel rogam, Praecone populum convocante. Praeibant praeficae, tibicines vel tubicines, insignia vel gentis, vel honorum in ferculis praelata; sequebantur agnati & amici, lugubri veste, ad rogam; quo ubi ventum, ei imponebatur cadaver: ex cognatis quidam aversus facem ei subiciebat, consumpti ossa & cineres legebantur, & in urnam condebantur, quae, populo dimisso, in sepulchro reponebatur. Aliquando in illustrium virorum funeribus accedebat laudatio funebris, decursio, epulum & ludi funebres.*

### P R A S III.

#### C A P. I.

#### *De re Militari.*

**O**mnis res militaris Romanorum per has partes quinque potest rite explicari:

I. Qui fuerint milites, & quotuplices

II. Qui praefuerint.

III. Quae







III. Quae dispositio agminis, castrorum, & aciei.

IV. Quae militum arma, & machinae.

V. Quae praemia & poenae.

I. Milites esse poterant *cives* tantum Romani, qui in pedites & equites describebantur.

*Delectus* militaris fiebat a Consule, quem nemo detrectare poterat, nisi ob has causas vacationem haberet.

I. Ob *aetatem*.

II. Ob *honorem* vel *sacerdotium*.

III. Propter *immunitatis* beneficium.

IV. Ob *emerita stipendia*.

V. Ob *morbum* vel *vitium*.

Post delectum *sacramento* addicti, in numeros dividebantur, & exercitus constituebatur, cujus partes erant, *legio*, *cohortes*, & *manipuli*, quae pedites complectebantur, equitum divisio erat in *turmas* & *decurias*. Extra legiones, & turmas *socii* ordinabantur.

Genera peditum erant quatuor

*Velites*,

*Hastati*,

*Principes*,

*Triarii*,

C 2

*Equi*

*Equitum* duo, vel qui merebant *equo publico*, vel *sine eo*.

Milites debebant iusta stipendia facere, pedes *vicena*, Eques *dena*, quibus confectis *Veterani* erant, nec, nisi cogente necessitate *evocarentur*, militare cogebantur.

Militare desinebant per *missionem*, quae erat triplex.

I. *Honesta*, quae completis stipendiis concedebatur, quae proprie *exautoratio* dicta.

II. *Causaria*, quae ob vitium, vel morbum supervenientem dabatur.

III. *Ignominiosa*, quae ob delicta irrogabatur.

## C A P. II.

### *De ducibus Militum.*

Summus militum Dux erat, vel *Consul*, vel *Praetor*, vel alius Magistratus, qui tunc *imperator* & *dux* dicebatur, & *auspicia* & *ductum* habebat.

Secundum locum tenebant *Legati*, quos *Consules*, vel *Senatus* legebant, ad vicariam operam subeundam,

Ter-





Tertius ordo erat *Tribunorum militum*, qui Legionibus praeerant; olim duplices, *Rufuli*, & *Comitiati*, postea etiam *laticlavii* & *angusticlavii*.

Quarto loco erant *centuriones*, in unoquoque manipulo duo, sexaginta in legione, primus omnium erat *Primipilus*. *Centuriones* sibi adsumebant *optiones*, qui & *suecenturiones* dicti, in unoquoque etiam manipulo duo *signiferi*.

Equitum praefecti erant.

I. *Turmae praefectus*.

II. *Decuriones* tres in singulis turmis.

Sociis praeerant *Praefecti sociorum*.

### C A P. III.

#### *De Agmine, Castris & Acie.*

**A**gmen erat exercitus proficiscens. Iter indicebatur per *tesseram*, instituebatur ad *classicum*, quod ter canebat I. ad *vasa colligenda*; II. ad *impedimenta* jumentis vel curribus *imponenda*; III. ad *iter ingrediendum*.

Agminis forma non semper erat una, sed pro locorum conditione variabatur, plerumque *quadratum* erat, vel *pilatatum*,

C 3

Si

Si in agmine ducendo metus erat hostium, fiebat *evolutio*, & pro natura loci acie directa pugnabatur.

Itinere instituto praemittebantur *metatores*, qui locum aptum castris ponendis caperent & describerent. Cum appropinquaret agmen, unusquisque ad locum sibi attributum muniendum accurrebat, & brevi tempore Castra erant omnibus partibus perfecta.

Castra autem erant, vel, quae unius tantum, vel paucarum noctium causa exstruebantur, quae & *mansiones* vocabantur; vel quae diuturnioris morae gratia fiebant, quae *stativa*, vel *stativae sedes* dicebantur. Praeter haec erant & *hyberna*, quae in locis hostilibus, praesidii causa muniabantur, & saepe in oppidi speciem struebantur; immo quae multis urbibus originem dederunt.

Castris tantum recipiebantur milites: *calones, lixae* &c. extra vallum *in processibus* manebant.

Castrorum forma semper erat eadem, *quadrata*, pro copia modo militum ampliora vel contractiora.

Portae erant quatuor, in singulis lateribus singulae.

I. *Prae-*







I. *Praetoria* sive *extraordinaria*.

II. *Principalis dextra*.

III. *Principalis sinistra*.

IV. *Decumana*, opposita *Praetoriae*.

Castra cingebantur *vallo* sive *aggere*, qui trium quatuorve pedum altitudine, nisi aliter metus hostium propinquorum suaderet, *sudibus* munebatur, distabat vero *ducentos pedes* a tentoriis.

Vallo praeducebatur *Fossa*, plerumque *octo pedes* lata, & totidem alta.

Castrorum partes interiores erant.

I. *Praetorium*, quod in loco edito altius reliquis tentoriis erigebatur; *Praetorii* area ampla erat, & quadrata, quae *ministros*, *comites* & *contubernales* Imperatoris caperet.

II. *Quaestorium*, ubi quaestor tendebat, ad dextram praetorii.

III. *Legatorum* tentoria ad sinistram.

IV. *Tribuni militum* post praetorium, ubi & *Praefecti* sociorum & alii duces tendebant.

V. *Militum tentoria*, hoc ordine, ut Equites in medio, tunc Triarii, deinde Principes, & Hastati, quorum latera, equites & pedites sociorum claudebant.

*Principia*, erat spatium vacuum inter Tribunos & milites centum pedum, ubi jus dicebatur, supplicia capiebantur; signa & aquilae erant.

Milites omnes erant sub *tentoriis*, quae ex pellibus, vel corio factae tendebantur, vel sub *tabernaculis*.

Tentorium unumquodque decem milites, cum *decano*, capiebat, quod dicebatur *contubernium*.

Munia, quae praestabant ad custodiam castrorum, vel *stationes*, vel *excubiae*, vel *vigiliae* dicebantur, quae voces saepe promiscue sumptae, nisi quod *vigiliae* proprie nocturnae sint, *stationes* proprie ante portas & praetoria, *excubiae* de omnibus dicantur.

Vigiliarum ratio *Tesseris* constabat, quae hoc modo dabantur. Tribuni militum, sole inclinante, numerum militum Imperatori referebant, Imperator ordinato numero vigilum, tesserae inscribebat signum, quod Tribuni *tesserariis*, qui ex decimo quoque signo capiebantur, dabant. Qui illud proximi signi duci, ille deinceps sequenti tradebat, donec iterum ad Tribunum rediret;



r  
e  
d  
e  
d  
p  
e  
p  
ft  
  
fa  
ft  
  
pr  
T  
re  
fe  
  
fi  
v  
qu  
ni  
ta  
  
ni  
A



rediret; ut ille videret, num quæ fraus esset commissa. Hoc peracto ad coenandum dimissus miles *buccina* ad *vigilias* excitabatur, quæ in quatuor partes noctem dividebant. Præter *vigilias*, quas pedites præstabant, erat *circuitio*, quæ equitibus commissa olim; postea proprie dicti *Circuitores* huic muneri destinati.

Haec de Castris; ex quibus milites sæpe educebantur ad proelium cum hoste conferendum.

Aciei ordo communis erat, olim ut primi Hastati, tunc Principes, tandem Triarii in manipulos divisi pugnam inirent; primi si pellerentur, per intervalla sequentis ordinis se recipiebant.

Levis armaturæ milites, ut antiquissimo tempore *rorarii* & *accensi*, postea *velites*, non certo loco stabant, sed aliquando ante signa, aliquando mixti manipulis, aliquando in cornibus, semper tamen primi pugnam ciebant.

*Signa* erant ante unumquemque manipulum in agmine; in acie in medio. *Aquila* erat ante Triarios.

J. Caesaris ætate aliter instruebatur

C §

acies:

acies: sublata enim manipulorum ordinatione, legionem per *cohortes* instruxit. In prima acie pugnabant primae cujusque legionis cohortes, in quibus militabant primae dignitatis milites & voluntarii, qui pilis armati erant. Posterior acies erat hastatorum.

Hæc de acie. Cornua olim focii obtinebant; postea cornua inter acies numerabantur, & dextrum cornu erat prima acies, media tunc secunda acies, sinistrum cornu tertia acies.

Non autem semper eodem modo acies instruebatur, aliquando enim duobus tantum cornibus, sublata media acie. *Quadrata* vel *simplex acies* erat, cum recta fronte & simplici tota acies se in hostem moveret, & ad rectam lineam omnes simul pugnarent.

*Duplex* acies vel *triplex* dicebatur, quando vel in duo cornua, vel in tres acies diviso exercitu, pugna modo a dextro, modo a sinistro cornu, modo a media acie incipiebat, quo casu vel *obliqua* erat, vel *sinuata*, vel *gibbera* acies.

Praeter has formas aciei, aliquando  
pars







pars exercitus, pro conditione locorum vel hostium, mutabat ordines, & in *cu-  
neum*, vel, *forcipem*, vel *globum*,  
vel *turrim*, vel *laterculum*, vel *ser-  
ram* coibat.

Instructa acie *adloqui* solebat mili-  
tes Imperator, deinde signum pugnae  
dabatur, quod *classicum* dicebatur, ad  
quod milites, *clamore* sublato, *arma*  
*quatiebant*, & pugnae se accingebant.

#### C A P. IV.

##### *De armis Militaribus.*

**A**rma militum sunt triplicia, vel ad  
corpus a vulneribus tegendum,  
vel ad vulnera hostibus infligenda, vel  
ad oppugnationes & defensiones urbium  
comparata.

I. Arma, quibus corpus tegebatur,  
erant:

I. *Galea*, quæ vel ex pelle, vel ex  
ære, caput tegebat, & plerumque *crista*  
erat insignis.

II. *Scutum* & *clypeus*, quæ forma  
modo diversa sunt, vel ex *ligno*, vel  
ex

ex *corio*, vel alia denique materia fiebant.

III. *Lorica*, quod pectus tantum tegebat, ex *catenulis*, vel *corio*, vel *linteo*.

IV. *Parma* ex *corio*, vel *ligno* corio inducto.

V. *Ocreæ*, quibus equites ad crus tegendum utebantur.

II. Arma, quibus ad lædendum utebantur, erant:

I. *Gladius*.

II. *Hasta*.

III. *Lancea*.

IV. *Pilum*.

V. *Contus*, qui hasta longior.

VI. *Tela & sagittæ*.

VII. *Arcus*.

VIII. *Jacula*.

IX. *Fundæ*.

III. Arma, quibus oppugnabantur, vel etiam obsessæ defendebantur urbes, dicuntur generali nomine *Machineæ*, quarum quæ ad oppugnationem adhibebantur præcipuæ dicebantur:

I. *Testudines*.

II. *Corona*.

III.





- III. *Scala.*  
 IV. *Crates.*  
 V. *Vincæ.*  
 VI. *Plutei.*  
 VII. *Circumvallationes, quæ aggere, brachiis, lorica cervis, turribus, instructæ.*  
 VIII. *Tormenta, ut arietes, Catapultæ. Balistæ.*  
 IX. *Cuniculi.*

Ad defensionem utebantur;

I. *Saxis, oleo, pice, sulphure, bitumine, plumbo & similibus, quæ in ascendentes devolvebant.*

II. *Contra aggeres, turres &c. contraria opera erecta, cuniculi ducti, ignes & faces in opera jactæ, trabes intortæ.*

III. *Contra tormenta coria, cilia, vela opponebant,*

## C A P. V.

### *De præmiis & pœnis militaribus.*

**P**ræmia sunt vel *ducum* vel *militum*. Imperator, si bene rem gessisset, bello finito consequebatur vel *Triumphum*, vel *Ovationem*, vel *Lauream*.

Reli-

Reliquorum ducum vel communia erant cum militibus præmia, nisi quod *duplicata*, vel *triplicata* &c. consequerentur; vel erant promotiones.

Præmia militum erant vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*.

Ordinaria erant *stipendia*, & *commoda* emeritæ militiæ.

Stipendium olim nullum erat, sed bello Veienti primum datum; quod erat aes *annuum mille æris*, sive *diurnum duorum assium & dodrantis*, quod deinde tempore Polybii duplicatum, & dati *quini asses* & tandem a Cæsare ad *decem asses* auctum. At sub Imperatoribus postea admodum variatum. Pedites vero *simplex*, Centuriones *duplex*, Equites *triplex* capiebant. Præter æs militibus dabatur aliquando *frumentum*, *vestes* & similia.

*Commoda* emeritæ militiæ erant plerumque *agri*, qui veteranis assignabantur.

Extraordinaria præmia erant:

I. *Præda*, quæ aliquando militibus dividebatur.

II. *Coronæ*, ut *civicae*, *obsidionales*,







les, murales, castrenses, navales, aureæ. &c.

III. *Hastæ puræ, phaleræ, vexilla.*

Pœnæ pro delictorum ratione erant minores vel majores.

Minores erant.

I. *Flagellatio*, quæ vite fiebat.

II. *Hordeum* pro tritico datum.

III. *Stipendii imminutio*, vel *privatio*.

IV. *Extravallum tendere*,

V. *Discinctio*.

VI. *Mutatio* ordinis in militia.


VII. *Missio* ignominiosa, de qua supra.

Graviores pœnæ erant

I. *Capitis multatio*, cum *fustuario* enecti, vel *lapidibus* obruti, vel *gladio* percussi perirent.

II. *Decimatio*, vel *vicefimatio*. &c.


FINIS.



les, minores, castres, ruralia, an-  
 tes. etc.  
 III. Rasse pure, piales, vestita.  
 l'ores pro delictorum ratione erant  
 minores vel majores.  
 Minores erant.  
 I. Flagellatio, que vno fessis.  
 II. Heredes pro nullo dantur.  
 III. Dependentia iuramentis, vel per-  
 casis.  
 IV. Excommunicatione tenentur.  
 V. Excommunicatio.  
 VI. Excommunicatio ordinis in totalia.  
 VII. Rasse ignominiosa, de qua  
 supra.  
 Graviores poene erant.  
 I. Capitis iuramentis, cum fessis-  
 vio erant, vel lapidibus obruti, vel  
 gladio percelli poterant.  
 II. Decematio, vel vincematio, etc.

FINIS







Ung II 309

ULB Halle

3


006 540 376




804

Handwritten blue ink markings, possibly a stylized signature or stamp.







PE

A

RO

D

IN U

Apud

Farbkarte #13

B.I.G.